Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36534
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



dine deorsum bestie morantur. Videmus alios iam aliena non querere. in lata
iniuria commissa non portare. rebus propriis esse contentos. humiliter uiuere.
Sed quia isti iam pauci sunt angustatur arca. Alios autem conspicimus etiam possessa re
linquere. nullum terrenis rebus studium dare. inimicos diligere. carnem
a cunctis uoluptatibus domare. motus omnes sub rationis iudicio premere.
per celeste desiderium contemplationis penna subleuari. Sed quia tales quoque
ualde rari sunt. iam arca iuxta cubitum ducitur. ubi homines et uolatilia
continentur. Queratur tamen si quis in eis esse ualeat sine peccato. et nullus in
uenitur. Quis itaque homo sine peccato est. nisi ille qui in peccatis conceptus non est.
In uno ergo cubito consummatur arca. quia unus est auctor et redemptor sancte ecclesie sine
peccato. ad quem et per quem omnes proficiunt. qui se esse peccatores nouerunt. Sequitur.
Et ingredieris arcam tu et filii tui. uxor tua et uxores filiorum tuorum
tecum. et ex cunctis animantibus uniuerse carnis. bina induces in arcam ut
uiuant tecum. masculini et feminini sexus et cetera. Quid sibi uult quod hic bina ALB.
de omnibus animantibus introducere iubet in arcam. et in subsequentibus
non bina sed septena et septena masculum et feminam. an duos ex inmundis. et quatuor
decim ex mundis animalibus intelligere debemus intro ducenda esse. Nequaquam.
non bina propter duo. sed propter masculum et feminam. Ita de inmundis tantummodo duos.
et de mundis solummodo vii. Inde inmunda pari numero posuit. mun
da uero impari. ut haberet Noe unde hostias immolaret ex mundis. Et
inde plura … fuerunt munda quam inmunda. propter futurum humano
generi usum. quo ex mundis debebatur hominibus. ut plura … essent que
prodessent quam que nocerent. De uolucribus iuxta genus suum. et de iumentis
in genere suo. et ex omni reptili terre secundum genus suum. bina de omnibus in
gredientur tecum ut possint uiuere. Queri enim solet utrum tanta capa AVG
citatis arca describatur esse. quod animalia tanta et tot cum mansiunculis
conuenientium sibi et escis eorum ferre potuisset. Hanc questionem Origenes soluit
cubito geometrico. asserens cubitum geometricum tantum ualere quantum
nostra cubita sex ualent. Si ergo tam magna cubita intelligamus. nulla ques
tio est tante capacitatis arcam fuisse. ut posset illa omnia continere. Item AVG.
queritur utrum arca tam magna centum annis potuerit fabricari a quatuor